

ficas, lolia, stirpes, fructa proferat, mox agrum illum maledictum et pessimum esse dicit. Sicut et contra optimum pronuntiabit, si laboribus, sudoribus, et cultura ægri- colæ per fructum abundanter illatum corresponderit. Eodem prorsus modo, si homo per injurias, contemptus, et nonnumquam percussioibus ad livorem exceptus, in honore et existimatione diffamatus, sanniis et derisionibus expositus, confestim irascatur, ac in vindictam, odium, et inimicitias prorumpat, pessimum vobis licebit de illo formare conceptum. At vero, si patiens fuerit, si dissimulaverit, tacerit, bonum pro malo reddiderit, tunc talem verum virtutis specimen edidisse libere afferetis, quia doctrina viri per patientiam noscitur. Et ideo talis per agrum illum significatur, in quo divinum semen ex uno grano in centuplicatum fructum excrevit: « Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui corde bono et optimo audientes, verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. *MANST., d. IX, n. 3.*

**ÆQUITAS.** — Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque configere et exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur; cædi se, vulnerarique patiuntur, et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul obijciuntur: marcet enim sine adverso virtus, tunc autem apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum, quid possit, patientia ostendit. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari liberos ad studia jubent obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrymas excutunt; at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, numquam flere, numquam tristari, numquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat, et operibus, inquit, laboribus, ac damnis exagitantur, ut verum colligant robur. *SENECA, cap. II, de Provid.*

Pono primam omnium innocentiam, et si huic jungere continentiam quivero, divitem me putabo in possessione liliorum. Rex sum autem, si tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem possunt sufficere illæ, sed quia et deficere in tentationibus possunt, siquidem tentatio est vita hominis super terram, opus profecto patientia est, quæ utrique quasi fit tutrix quædam et custos. *S. BERN., in ser. LXX, in Cant.*

In paradisum terrestrem, qui celestis viridarii representativus erat, nemo intrare poterat, nisi prius per flammeum Cherubini gladium pertransiret, id quod ex mente S. Bernardini denotabat, quod cælum non recipit nisi probatum, idest, nisi transeat per flammeum gladium atque versatilem, qui *Genes. III.* positus est ad custodiendum lignum vitæ; sed hoc nullus facere potest, nisi qui patientiam habet in sua tribulatione. Gladius quippe flammeus atque versatilis tribulatio est affligens, et crucians animam et corpus. Exemplum patet in trifolico, quod in terram projicitur et sepelitur, quod moritur in hyeme, congelatur grandine, et pluvia maceratur, hominibus et bestiis conculcandum exponitur, et deascendum; in æstate calore siccatur, verberatur flagellis, et de palea exentitur, et conleritur, inter molas, et post alias ejus vexationes in cli-bano decoquitur et in his omnibus virtutem suam semper retinet, et vigorem; ideo in fine in cibum ante Regem honorifice portatur. Sic etiam vir patiens, in tribulationibus perseverans, præsentabitur coram æterno Rege Deo, scilicet glorioso. *S. BERN., t. II, s. LXVI, ar. 4, c. II.*

Quodnam in eo latuisse putas mysterium, quod S. Petrus egressurus e carcere Herodis in mundum ad convertendos populos, ab Angelo jussus fuerit se calcare maxime, cum Christus apud S. Matth., c. x, contrarium præceperit, ne scilicet Apostoli sui calcos in pedibus haberent, neque calcæmenta? Responderi quidem posset, nequam convenisse, ut calcæi S. Petri apud Hebræos, ut multo minus apud impium ac sacrilegum illum Regem permanerent, siquidem coram illis in omnibus sæculis futuris omnes et singuli, etiam formidabiles totius mundi Monarchæ, se in signum subjectionis prosternere debebant, iisque cum reverentia devotissima oscula imprimere; verumtamen melius ad nostrum propositum in sensu morali respondet S. Antonius de Padua, S. Petrum ab Angelo jussum fuisse, ut calcæi se indueret, ne in via a lapide læderentur pedes; calcæi autem hi patientiam denotant, quæ est necessaria in adversis hujus mundi, quia cum in hac vita, quando sumus viatores, dum sumus in corpore, peregrinamur, ne ad quemlibet gressum impingamus ad offendiculum, allidamusque ad lapidem pedem nostrum, hanc nobis necessariam patientiæ virtutem subministra-

vit. Hæc autem offendicula B. Laurentius Justinianus his verbis innuit: « Peregrinanti homini in hac valle miseræ multa occurrunt adversa, aliqua ex innata infirmitate, aliqua ex insolita consuetudine, quædam ex justitia divina, nonnulla vero ex malorum hominum malignitate. Ideo ne offendamus et lædamus pedem, mystico hoc calceo nobis opus erat. *MANST., dis. I, n. 2.*

**NECESSITAS.** — In *Genesi* de Isaac legitur, quod Jacob filio suo dixerit: « Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi, » Hoc tamen paternæ dilectionis signum in eum non contulit, nisi postquam manuum suarum contractu, quis sit, exploravisset; id quod Hugo Cardinalis considerans ait: « Post tactum demum sit osculum, idest, post patientiam flagellorum. » *MANST., d. XXIX, n. 5.*

**UTILITAS.** — De viro Apostolico Joanne de Avila, qui superiori sæculo sacrum in Hispaniis fuit oraculum, P. Rho refert sequentia: Hujus tantæ in hominibus patientiæ vim omnem, atque ortum, præclara usus imagine, suis olim discipulis Avila explicabat. Videns fabros ferrarios, ut candentis ferri massam validis ictibus tundant, et quilibet induant figura? Unde tanta metallo ferendi constantia? Resiliret profecto nisi grandi foreipe prehensum, idem qui tundit, ac fingit, sub ictu valde contineret faber, tantumque firmando metallo, quantum tundendo virum adhiberet, ne validiore ictu excussum artem eludat: quæ in hac nostra imbecillitate naturæ tanta esse potest animi firmitas, ut morbis veluti malleatoribus, corpus obijciat immotum præset, nulla victim querela? Nimirum idem, qui affligit, allevat Deus, et quos durius figit, validius firmat. Idem ipse quondam nocturnis doloribus victus, cum levissimo gemitu inducias impretrasset ad somnum, mane ubi evigilavit, postulati penitens, auditumque se dolens, a Deo egregie vapulasse, ac colophæ cæsum fuisse professus est; quod patientiæ per ea cruciamenta operandi materiam sibi subtraxisset. *JOAN. RHO, l. IV, c. IV, n. 3.*

Apud Plinium hanc experientiam descriptam reperio, quod flammæ, quæ ex monte, qui Chymæra dicitur, erumpunt, solo compescuntur fœno; hæc vero, quæ ex monte Hecla in Hybernia exsurgant, sola extinguantur stappa; *PLINIUS, lib. II, c. 1, 106.* unde sequens validum formari argumentum

posse existimo, videlicet: Si admirabiles hosce effectus operatur natura, multo magis idem concedendum erit gratiæ, quod nimirum per æquanimitatem, et invitam patientiam, aliorum iracundia excitatum incendium possit extinguere. Quas enim et quantas furoris sui flammam infernus in Jobi pernicem non evomuit? Et tamen nulla inopia, fames, morbus, cruciatus, liberorum neces, amicus, inamicus, uxor, et servis irruentibus, nulla demum humanæ miseriæ fuit ærumna, quæ non sit in ejus corpore exhausta. Quoniam vero modo, ut D. Chrysostomus notat, magnum hoc patientiæ speculum ingens hoc incendium extinxit, et compescuit. Clarus hic et insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit; sola patientia fuit fœnum, et stappa, quæ ingentem illam flammam sine ulla sui læsione suppressit.

Cum Philisthæi arcam Domini in prælio cum Israëlitis habito, in prædam accepissent, Deus illos punire volens, præter immissam inter illos ingentem murium multitudinem, eosdem pariter in secretioribus corporis partibus per pœnosam valde et fœtidam infirmitatem castigavit; quod flagellum a se removere satagentes, satrapas suos consuluerunt de adhibendo remedio, a quibus fuere persuasi, ut mures aliasque effigies aureas funderent, iisque Deo Israel oblatis, Arcam fœderis Hebræis denuo restituerent. Quo adimpleto satraparum consilio, profinus inter illos omne flagellum cessavit, omnia autem hæc in figura contingebant illis; sic quidem Deus per hæc nos erudire voluit, ut flagella ferrea et chalybea, quibus castigamur, et cadimur, per veram, virtuosam, et voluntariam patientiam, aurea redderemus tunc enim futurum fore, ut a flagellis liberemur æternis, efficiamurque ex Philisthæis Israelitæ, idest, videntes Deum. *MANST., d. XVII, n. 2.*

Si Principi alicui integram deberes auri millionem, quæ summa quædam est, cujus solutio tibi utpote viro pauperi et egeno, esset omnino impossibilis, numquid magnam tibi censeres fieri gratiam, si idem Princeps creditor tuus suum tibi panderet ærarium, ut acceptis exinde thesauris suis posses illi satisfacere? Utique gratiam illam omnino velut immensam ubique deprædicares. Simile vero quid sit in præsentibus; nam patientia ingens quoddam Dei domum est, maximisque thesaurus, hæc enim moneta

quædam est tanti valoris atque pretii, ut per illam summam quantumvis grossissimum peccatorum tuorum diluere possis. Cogita igitur, quod, quando Deus aliquis tibi adversitates, aut sinistros eventus immittit, ipse tunc ærarium suum tibi ad solutionem debitorum tuorum faciendam aperiat. *Is.*

Dixit aliquando S. Birgitta B. Agnes Martyr: « Veni filia, et impone tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Primus lapis est Jaspis, quem tibi imposuit contumeliosus ille, qui tibi dixit, nescire se, quo spiritu loqueris, utiliusque tibi esse, si more aliarum mulierum fila duceres, quam descripturis disputares. Secundus lapis est Saphyrus, ab illo tibi impositus, qui coram tibi faventia verba dicebat, a tergo vero detrahebat. Tertius Smaragdus, quem apposuit, ille qui falsa tibi imposuit, imposuit, dixitque, te protulisse ea, quæ nec cogitares, nec dixeras. Quartus est Margarita, quam tibi imposuit ille, qui, te præsentem, amicum Dei vituperavit, ex cuius vituperio plus turbaris, quam de tuo. Quintus est Topazius, ab illo tibi impositus, qui amara tibi loquebatur, cui e contra benedixisti. Septus est Adamas, ab illo tibi appositus qui corporale damnum tibi intulit, quod patienter tulisti, nec eum dehonestare voluisti. Septimus est Carbunculus, hujus occasionem dedit tibi ille, qui filium tuum Carolum vita functum falso denunciavit, quod, committens Deo voluntatem tuam, tulisti patienter, Constans esto, filia, et cum tunc coronæ alii præterea lapides desint, pro illa amplianda sanctos imitare, qui ex probatione illustriores facti sunt. *PENN., Dissert. vii, n. 12.*

S. Mechtildis Christus dixit: « Qui gravamen aliquod, vel dolorem etiam per modicum tali intentione præfert, ut proponat per amorem et laudem nominis mei, libenter majorem dolorem, vel laborem sustinere, si id mihi placeat, is, quantumcumque aridum et peccatorum rubigine obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, et gratiæ meæ capax efficitur. *BLOSUS, in Concl. an. c. x.*

Memoranda hoc loco est porta illa ferrea, quæ ad urbem Hierosolymitanam ducebat, quæ Angelo S. Petro ultro aperta est, quando, ruptis et solutis catenis, et carcere egre diebatur; S. Petrus autem, eo in loco, hominem patientem tunc præfigurabat, qui solutis vinculis, quæ eum in hujus corporis carcere vinctum tenent, cœlestem Hieroso-

lymam portis ultro apertis ingreditur. Venerunt ad portam ferream, quæ ducti ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Ubi S. Bernardus ait: « Porta cœli humilis patientia, quæ est porta ferrea, ducens ad civitatem. *Act. Apost., xii, 10.*

Apud Jobum dicitur: « Ab Aquilone aurum venit, » At vero scire perciperem, cur potius in gelido Septentrione, quam ab aliis mundi partibus auri venæ reperiantur? S. Bonaventura hac de re ita scribit: Prudens facit solvere omnia debita sua de his, quæ nihil videntur valere, scilicet de malis poenæ, quæ sustinet, ut Deus remittat tibi debitum culpæ, et solvendo nihil expendit de suo, imo his, quæ accepit ab initio, sicut de opprobriis et contumeliis, solvit quæcumque, et quidquid debet Deo; et cum alienis se retinendo, scit acquirere gratiam in presenti, et gloriam in futuro; et ideo dicitur: « Ab Aquilone aurum venit, » quod patiens acquiri in tribulatione. *S. BON., in Diet. sal. tit. c. vii.*

DIGNITAS. — In honorem quidem Prophætæ regii in libri Regum dicitur: « Sedens in cathedra sapientissimus. » Et tamen ex altera parte jumentum se appellat, inquires: « Ut jumentum factus sum apud te. » Quæ duo, scilicet sapientia, et jumentum, cui ignorantia, et stoliditas attribuitur, inter se contraria esse videntur: et tamen S. Bernardus utrumque inter se conciliat inquires: Puto, immo non puto sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari, sed plane non eam, quæ in non intelligendo, sed in sapientiæ imitatione consistat. Neque enim succensusis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset: Homo cum sub honore Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum, etc., ut jumentum esto, minime tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens. At vero quisnam est honor ille, de quo S. Doctor loquitur? Ille nimirum, quem Apostolus indicat, dum suadens inquit: « Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. » Etenim inter omnia animalia nullum a Filio Dei magis honoratum fuit, quam jumentum, hoc enim in nativitate sua juxta præsepe positum habere voluit, ut halitu suo ejus calefaceret corpusculum. Similiter in triumpho Palmarum asinum elegit, cui insideret, non equum: « Sedens super asinam, » idque ob illam præcipuam causam, quia asinus pa-

tientiæ virtus est; Deus enim in animalibus hæc typus dotatis, libenter quiescit. *S. BERNARD., s. vii, super Ps. Qui habit.*

Bonum etiam, qui cæcæ vivunt, summæ virtutis appellatione honorant; Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia reputantur, tantum illi subsignant, ut cum inter sese variis sectarum libidinibus, et sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in communi memores huic uni studiorum suorum commiserint pacem. *TERTUL., de Pat., c. i.*

David a Saule ad mortem quæsitus, poterat in spelunca Odolla, ad sui defensionem, injustæ Saulis persecutioni ponere terminum per unicum solum lanceæ ictum cordi Saulis impactum, simulque diadema regium a Regis vertice sublatum capiti suo imponere; verumtamen, per heroicam patientiam, non solum appetitum vindictivum interius extimulantem devicit, verum insuper omnibus se opposuit, quos secum habebat, militibus, qui omni cum conatu eam indigere conabantur, ut, manu ferro apposita se, et illos per mortem Saulis ad imminentibus periculis eximeret. Quæ omnia cum impius Rex intellexisset, tantæ patientiæ et mansuetudinis actum admiratus, Davidem filii titulo honoravit, atque amare fens, illiusque sanctitatem in conspectu omnium deprædicas, in hæc verba prorupit: « Nunc scio, quia certissime regnatus sis, et habiturus in manu tua Regnum Israel. » Et quidem argumentum, quod formabat, infallibile erat; intelligebat namque, quod tot virtuosos patientiæ actus exercendo, colligebat in sinu patientiæ lapides pretiosos. *MANSI, d. vi, n. 4.*

Dixit olim Deus ad Moysen: « Constitui te Deum Pharaonis. » At vero quam præcipue in re se oblatinavit hujus Regis Deum esse monstravit? Scio quidem, quod hanc divinæ omnipotentis delegationem super creaturis ostenderit. Elementa v. g. obedire faciendo; transmutando aquas in sanguinem, cœlum grandinibus, turbinibus, fulminibus armando; verumtamen Pharaonis in propria persona ab omnibus illis decem plagis exemptus fuit. Verumtamen dubium hoc facile solvitur, dicendo, quod Moyses Dei patientiam æmulari volens, patientiam et ipse diuturnam cum Pharaone habuerit, expectando eum ad penitentiam. Unde Oleaster ait: Expende quæso, quanta sit dignitas S. Moysis, quem Deus sic evexit,

ut Deum Pharaonis constituerit, et similiter; quanta sit misericordia ejus, ut non illum statim occideret, sed patientia quasi Dei, tulerit et monerit. *Id., dis. iv, n. 7.*

S. Ambrosius Moysen a Spiritu S. commendatum, velut virum totius generis humani mansuetissimum: (« Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines ») admirans, ait: Quantas a populo illatas Moyses absorbebat contumelias cum miti sermone post injurias appellabat, quomodo consolabatur in laboribus, orauculis deliniebat, fovebat oneribus? Merito æstimatus, et super homines, ut et vultus ejus non possent intendere. *S. AMBR., lib. II. de Offic. c. vii.*

Diu ante illum Joseph Patriarcha divinum æmulatus fuerat patientiam, de quo proinde S. Zeno, ita scribit: Joseph patiens invenitur et pascuo, cum a fratribus capitur, patiens, cum in puteum demittitur, patiens, dura cum hasta distrahitur, patiens in carcere; in regno patientior, patientissimus desideratos cum fratres agnosceret, et ubi jactantia se non potest continere, positus in honore continuat. Cœlestis profecto est ipsa patientia, quam a suo statu, non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commovere. *S. ZENO., serm. de Patient.*

Minor est victoria urbes expugnare, quia extra sunt, qui vincuntur; majus autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse a se animus superatur. Unde Bracmanni scripserunt Alexandro, quod pugnat contra hostes exteriores, quos vincebat, ut nutriret hostes interiores, a quibus vincebatur, quos dicebant animi sui impetus, et cupiditates. Aristoteles contra Alexandrum, cum nollet cuidam iracundiam remittere, probavit ei, vincendo seipsum, quam in eo, quod viceerat, et sibi subjecerat totum mundum; quod si se, vel animum suum non vinceret, non erat victor, sed victus. *S. GREG., ap. Bellou. l. I, dist. xxxvii.*

S. Gregorius magnopere celebrat factum illud Davidis, quando se a Michol conjugæ suæ per adeo vituperosum ludibrium patientissime audivit contemni, eo quod saltasset coram Area Domini. Ita enim S. hic Pontifex loquitur: Quid de ejus factis ab aliis sentiantur, ignoro; Ego David plus saltantem stupore, quam pugnantem. Quæ sententia prima facie paradoxa esse videtur, an non enim S. Gregorius memoria sua tenet illam contra Goliath reportatam a Davide victricem? An

oblitus est tot stragum, quæ inter Philistæos armis suis ad immortalem gloriam paravit? An illa memoriam ipsius effugiunt facinora, quibus generositatem suam omnibus retro sæculis probavit? Quam habent modici saltus proportionem, cum mortificatione prædictorum facinorum patienter tolerata? Verumtamen causam asserti pontificii ex ejus velim ore auscultetis. Dicit igitur: Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem et patiendi, insultus semetipsum vicit. B. Laurentius Justinianus de viro patiente ait: Vincit seipsum, quod genus vincendi rarissimum, et nobilissimum est; « Melior est, » inquit scriptura, « vir patienter viro forti, et qui dominatur animæ suæ, expugnatore urbium. » Inmirabiles sunt, qui populos, qui urbes in potestate habuerunt, paucissimi qui se. MANSI, d. XIV, n. 4.

Magnam mysterium habet, quod Christus, antequam in crucem tolleretur, permisit, ut sibi albæ vestis irrisorio amictu Herodes illnderet. Quare concesserit, ut vestimentum illi album injicerent? Ut significaret id, quod dicere copimus. Plutarchus Problem. 46, ait: Eos, qui Romæ Magistratum petebant, candida veste indutos fuisse, atque ex illa dictos candidatos. Christus ergo priusquam crucis copiam nactus est, candidè vestiit, ut significaret suæ se crucis fuisse ambitiosum, res nimirum, tam præstans ac divina, qualis est pro Deo pati, serio admodum expeti, et ardentissime pensari debet. Faxit Deus, ut tantum bonum, felicitatemque tam sublimem oblineamus, ut æquanimiter tolerantæ præsentæ ærumnas, perveniamus ad lauream gloriæ futuræ. NVSS, c. VIII, ser. 4 *Dom Quad.*

Magdalena Christum frequenter, ac tam familiariter attractavit, ut ipse, cum eam adversus Pharisei murmur defensaret, diceret: Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. » LUC., VII, 45. Et Lucas ipse vi, 49, ait: « Omnis turba quærebat eum tangere » tangere ab omnibus promiscue Christus patiebatur. Revixit, cumque Magdalena rem in pristino statu versari arbitrata, pro nupero more libere pedes ejus vellet, audivit: « Noli me tangere; » JOAN., XX, 17, qui tamen Thomæ manibus palpari permisit, inquiens. « Infer digitum tuum huc, et affer manum tuam. Ib., v, 27. Quæstio nunc est, cur se antea tangi passim ab omnibus permisit, post resurrectionem vero etiam suam Magdalenam a suo tactu prohibuit.

et Thomæ tamen ad palpandum obtulit? Cur hoc jam Magdalena demeruit? quod se facinore attaminavit, ut tractari ab illa sacrum corpus suum Christus noluerit? voluit sine dubio Dominus indicare, quantum distet corpus, dolores, cruciatus, mortem expertum, ab inexperto. Nam ut corpus passione sacrum manet, consecratumque, ita ille ante suam passionem ab omnibus palpari permisit, at post mortem toleratam dicit Magdalenæ: « Noli me tangere, » tractari deinceps a te corpus meum non debet, quod cruce, et reliquis tormentis, quæ perulit, sacramentum fuit, religiose illud posthac coli, magnaque in veneratione esse debet. Dicas mihi: Quomodo ergo Thomas illud palpavit? Immo id rei nostræ robur addit. Vides calicem, et patenam a viris, mulieribus, denique ab omnibus sine discrimine attractari, moxque dicit: Res istæ non sunt consecrate, at quando soli ministri contingunt, qui tractandi usum potestatemque habent, inquis, consecrata sunt. Christus ergo antequam passus, cum omnis turba quærebat eum tangere, non prohibuit, post passionem vero a Thoma, tamquam Sacerdote, qui hoc ex officio posset, palpari permisit. Quod totum Redemptor noster fecit, tu in se ipso nobis indicaret, quam magnificentum sit pati, cum ille post passionem corpus suum, quamquam idem ipsius esset, reverentis haberi, et religiosius quam ante colit voluit. IDEM., serm., § 2, post. vi. *Dom Quad.*

Postquam S. Job ab omnibus ærumnis suis respirarat, et in statum pristinum redierat, « venerunt ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti, qui venerant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo ejus, et consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum, » JOB., XLII, 11. Quod non fecerunt, quando ille in mediis angustiis positus, magis eorum consolationem requirere videbatur. Jam mala illius omnia præterierant, jam calamitatum illius mare defluerat; quid ergo nunc eum consolabantur? nam ubi nihil ærumnarum sit, non videtur esse locus consolationi, et compassioni, inquit insignis Historiæ hujus interpres Pineda. Respondeo: « Consolabantur illum non de adversitatibus jam exantlatis, sed quia viderant tam incommodam fortunam tam æquanimiter, tantaque cum voluptate tolerasse, ut vermes, qui ex vivo illius cadavere scaturierant, gemmarum loco, et

sterquilinum velut thronum Regium, et itaque pœnas pro summa gloria habuerit; juges consolati sunt eum non de alio, quam quod jam pati cessasset. Nam ut vir justus quisque præsentæ ærumnas pro summa felicitate habet, felicitatem autem ærumnarum loco: sic, dum bene cum illo agitur, solatio opus habet, dum autem exercetur incommodis, et afflictatur adversis, nullius compassionem, aut commiserationem requirit; quod enim optabilis animæ refrigerium quam pro Deo pati? IDEM., s. III, *Dom 20, post Pent.*

Vide, quam veraciter dictum, pro Deo pati gloriosum esse. « Intonuit des cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, inquit David Ps. XVII, 14. De quo cœlo David loquitur et quando Dominus dedit vocem suam, qui singulari mysterio hic Altissimus audit? S. Ambrosius l. III, de Fide, c. 1, ait: Dubitari non potest, quod altissimus Christus sit, cum David dixerit de mysterio suæ passionis; « Altissimus dedit vocem suam. » Unde vocem suam dedit? E cœlo crucis, quando pro hominibus duos ac diros ferebat cruciatus, et loquebatur verba, quæ illum Evangelistæ pronuntiassæ affirmant. Itane vero regius Propheta nomine Altissimi donat celorum Regem, quando illum probris deonestatum, crucis ignominiosissimo ligno, flagitiosissimi, sceleratissimi que instar, fixum, tam ferali passioni expositum propheticis oculis inde arbitratur? Immo hoc agit, ut tali nos exemplo doceret, tam sublimem rem esse pro Deo pati, ut fastigium suum supra omnia mundana, quavis excelsa, attollat. Ergo bene dixi, felicem hanc navem nunquam magis altam fuisset, quam cum alto in mari tempestatibus exposita fuit. Nimirum tanta est sublimitas, pro Deo pati. IDEM., s. III, *Sabb. post. Cin.*

Altissimus fuit hæc de re sancti Cypriani cogitatus, qui, ut consolatoris litteris sanctum Lucium Papam propter fidei defensionem exilio mulctatum confirmaret, rogabat, ut cogitaret Roma se pulsam, non ut pastor urbem destitueret, sed ut dignitate auctus aliquando reverteretur; non ut Episcopus relegatus, et pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret, inquit D. Cyprianus, Ep. LVIII. Ubi ad verba hæc extrema, ut major rediret, vos attentissimos velim. Sciscitari hic lubet, quomodo Cyprianus dicere potuit, Lucium relegatum, et exultare coactum esse, ut ma-

ior dediret, qui Ecclesiæ Episcopus univrsalis erat, et Vicarius Christi, et quidam in terris Vice-Deus? Si tantum simplex Sacerdos, aut etiam Episcopus qualescumque emigrasset, atque in ipso exilio summi Pontificatus honorem adeptus fuisset, recte dixisse Cyprianus videretur: sed quod major redire poterit, qui Pontifex summus exierat, id difficile intelligitur. Quid ergo est, quod dixit Cyprianus? Præclara quædam auxesis, et exaggeratio fuit, qua D. Cyprianus exprimere voluit, quam sublimis res sit, pro Deo exilium, sive aliud quidpiam pati, et indicare, si quis Pontifice summo altior esse posse, eum non alium fore, quam qui pro Dei honore sive asserendo, adversa in hoc mundo tolerat. IEN.

Tertullianus tantam ait fuisse olim Martyrum existimationem, ut, qui ab Ecclesia, et fide, seu fragilitate, seu necessitate defecerant, tum vero erratorum et reatum suorum penitentibus redire ad Orthodoxiam vellent, non prius admitterentur, quam Martyrum suffragiis et calculis, ex animo profectam respicientiam certam facerent. Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt, inquit ille: et Pamelius in illorum verborum commentario: Vide quanta fuerit olim Martyrum auctoritas, quæ sola facere fidem his poterat, qui fidem deseruerant, ut fidelium cæti denuo insererentur. TERTUL., l. *adversus Mar.*, c. II.

JUCUNDITAS. — Dignum consideratu est, quod amanti Sponso cum sua chara Sponsa evenit: « Messui myrrham meam cum aromatis meis, aiebat » ille *Cantic.* v, v. 1. Indubitatum est, hoc loco nomine myrrhæ significari omnes afflictiones, persecutiones, calumnias, iniurias, labores, et quæcumque pro Deo adversa tolerantur. Quid opus dicere quod ita sentiant utque Gregorius, Nyssenus scilicet et Magnus, Apponius, Philo, Isidorus, Beda, et alii plures, cum res sit tam nota, et vulgata? Quod ergo Sponsus Sponsæ ait, messuisse myrrham suam amaram, perinde fuit, ac si jussisset venire, et pati persecutiones, probra, ærumnas; ad myrrham, ad labores, et persecutiones sponsam invitat, inquit isti Patres. Sed quem in locum eam vocat, cum ad amaram persecutionum myrrham, et diram laborem, tolerantiam invitat? « Veni in hortum meum, soror mea Sponsa, » dicit. Ad horti mei gratas amenitates te voco. Gilbertus,

ser. XL in *Cant.*, dicit: De craticula vocatur ad hortum, et dum in craticula erat, ab horto non aberat. Ab ardente laborum et persecutionum craticula (quæ est myrrha) vocata fuit Sponsa ad jucundum hortum, ut de ærumna transiret ad aliam et de cruciatu hoc ad illum, et quamdiu in his miseriis versata fuit, non excessit horto: De craticula vocatur ad hortum, et dum in craticula erat, ab horto non aberat. NISSEN., in *Phan.*, l. VII, c. iv.

Quid est præcipuum. inquit Seneca, in tolerantia ærumnarum? Posse læto animo adversa tolerare, quidquid acciderit, si ferre quasi tibi voleris accidere. Flere, queri, ingemere, desiciscere est. Ita Seneca in *Præfat.* ad lib. natural. qq. Quod excellentissimum patientia habet, illud est, ut hoc a se obtineat, qui in ærumnis miseram degit vitam, ut hilari animo adversa ferat, lætoque vultu, cum risu ea excepiat, et omnem infelicitatem et calamitatem, tam grantanter admittat, ac si ipse sibi eam expetisset, et accessisset. Hoc est præcipuum patientiæ insigne; nam qui sub onere ingemiscit, qui plorat, et querulus est, ille supremæ Philosophiæ partibus, et scholæ, quæ recte et generose patiendi disciplinam tradit, obligationi minime satisfact. *Ibid.*

S. Franciscus, qui talem fundavit Religionem, quæ verè perfectionis, et sanctitatis basis est et fundamentum, patientiam in suis primis discipulis permagni aestimavit, eo vel maxime, ut qualis singuli spiritus essent, exinde experiri valeret: unde in *Opusculis* suis ita scribit: Quamvis Fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ sanctitatis et ædificationis, ibi tamen non est perfecta lætitia; et quamvis Frater Minor illuminet cæcos, contractos extendat, dæmones pellat, surdis auditum, claudis gressum, mutis verbum restituat, et quod majus est, quatruiduanum resuscitet mortuum, ibi non est perfecta lætitia. Etsi Frater Minor sciret omnium gentium linguas, et omnes scientias, et scripturas, ita ut sciret prophetare et revelare non solum futura, sed etiam conscientias aliorum, ibi non est perfecta lætitia. Si Frater Minor loquatur lingua angelica, et sciat stellarum cursus, et virtutes herbarum, et sint ei revelati omnes thesauri terrarum, et sint ei revelatæ virtutes, et proprietates avium, piscium, animalium, hominum, radicum, lapidum,

arborum, et aquarum, ibi non est perfecta lætitia. Etsi Frater minor sciret tam solemniter prædicare, quod converteret omnes infideles ad fidem, ibi non est perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis sic balneati pluvia, et frigore congelati, luto etiam deturpati, et fame afflicti, et ad portam loci pulsabimus, et veniet Portarius iratus dicens: Qui estis vos? Et nos dicemus: Sumus duo ex fratribus vestris; et ille e contrario diceret: Imo estis duo ribaldi, qui itis circumquaque per mundum, pauperum eleemosynam rapiendo, et non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem et aquas, in frigore, et fame usque ad mortem, tunc si nos tot injurias, et repulsas sine turbatione et murmuratione toleraverimus patienter, et cogitaverimus humiliter, et charitative, quod ille Portarius veraciter nos cognoscit, et quod Deus excitat linguam illius contra nos, scribe, quia ibi est perfecta lætitia; etsi nos in pulsando perseveraverimus, et ille tantum importunus exeat contra nos, et durissime nos afficiat alapis dicens: Recedite hinc, villissimi pultrones, et ite ad hospitale qui enim estis vos? Hic penitus non manducabitis; et si nos patienter hæc portabimus, et injuriati cum amore pepercerimus ex toto corde, scribe, quia ibi est perfecta lætitia; etsi nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante pulsabimus, clamabimus, et fletu instabimus, ut aperiat nobis, et inde ille stimulatus dixerit: Isti sunt homines proacissimi et protervi, et exiens cum uno fusto nodoso, capiens nos per caputium, ad terram super nives et lutum projiciet, et nos verberabit cum fuste, et nos plagis implebit. sit tot mala, tot injurias, et verbera cum gaudio tolerabimus, considerantes, quod penas Christi benedicti tolerare, et portare debemus, scribe, et nota diligenter, quod ibi est perfecta lætitia, et audi conclusionem. Inter omnia charismata Spiritu S., quæ Christus servis suis concessit, et concedet, præcipuum est, vincere seipsum, et libenter propter Deum, et charitatem Dei opprobria sustinere. Ex qua tam sancti et illuminati viri doctrinam evidenter colligitur veri spiritus, perfectæque sanctitatis specimen, a patientia longe clarius, quam a quocumque alio dono, aut virtute desumi, et colligi. *Opusc. S. Franc.*, t. II, c. xviii.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Abbas Nestor interrogatus quomodo eo venisset, ut, si aliquid adversi eveniret, non quereretur respondit: Quando intravi Ordinem, dixi animo meo; tu et asinus unum estote: sicut enim asinus vapulat, et non loquitur, injuriam patitur, et non respondet, sic et tu; sicut in Psalmo legitur: Ut jumentum factus sum apud te. *Vit. PP.*, c. v, l. XVIII, n. 30.

Abbas Nub, ut doceret patientiam practico exemplo, idolum aliquo mane lapidavit, noctu veniam ab eo petiit, causamque facti rogatus respondit: Sic injurias nos tolerare deberemus, ut hoc idolum, quod neque ob injuriam commotum, nec ob veniæ petitionem elatum est. L. III, n. 88.

Magnus Præsès Rhodiorum Equitum Franciscus Villadunius solum in Symbolo habebat cum inscriptione: Ubique similis. Nam ut recte Seneca advertit, solis vis et lux integra est; etiam inter opposita; quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem. Sic virtus sibi eadem est, et more solis obscuri in occulto vim suam exercet. Hoc itaque adversus virtutem posunt calamitates, et damna, et injuriæ, quod adversus solem potest nebula. ENGELG., *Dom. 2 Quadr. in exord.*, ep. xcu.

S. Nicolaus Staurophorus a portata cruce sic dictus, cum sapius audivisset, suam post Christum crucem cuique portandum, ingentem sibi crucem formavit, eaque onustus totam Italiam percurrit: quacumque vero incederet, puerorum post se agmen traherebat, quos ad templum deductos ad preces Deo persolvendos inducebat. Solo pane et aqua circa vesperum tantum victitabat. Vestis ex centonibus confecta: nudis pedibus incedebat. Crucem perpetuo aut in humeris, aut pedibus gestabat, quam et pueris legavit, inter quos ad se evocatus, et orantes pie obiit.

B. Magdalena de Pazzis dicere solebat, nos debere semper aliquid occultatum a creaturis, scilicet aliquam mortificationem vel materiam patientiæ aliis ignotam, et soli Deo notam habere, propter quam quotidie nos debeamus mortificare. Et hac via acquisivit animum imperturbabilem, et continentiam Dei presentiam. *Vit.* 26.

Christus S. Birgitta dixit: Justitia mea est, ut unusquisque justus obtineat, quod petit. Sed non est justus, qui pro obedientia et perfectione non appetit contraria. Ideo amici mei considerantes, quæ ego Dominus et Redemptor eorum feci et promisi eis, simul attendentes, quæ in mundo est, malitiam, ad honorem meum, et salutem propriam, et peccatum cavendum, petunt magis contraria mundi propter cautelam, quam prospera. L. V, *Rev. interr.* 6.

Servi mei fideles lætantur se tribulari, et vestiri penis et opprobriis Jesu Christi crucifixi (dicebat æternus Pater S. Catharina Senensis). Unde si possibile foret eis, habere virtutes absque laboriosa pœna, non acciperent. Potius enim eligunt in cruce cum Jesu Christo delectari, et cum pœna virtutem acquirere, quam alio modo vitam æternam habere, quia sunt in sanguine suffocati et immersi, ubi reperiunt ignitam charitatem meam, quæ charitas est velut ignis succensus a me procedens, qui rapit mentem eorum. *Dial.*, c. xxxiv.

Male de te loquuntur homines, inquit Seneca, sed mali. Moverer, si de me Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam antecitorum habere sententiam, ubi, qui damnandus est, damnat. L. II, *de Provid.*

Magnus quidam Princeps jusserrat sibi pro Symbolo pingi cucurbitam aquis innatantem cum hac inscriptione: Luctor, non mergor. Admirallus Chabotius vero ventosam pilam seu follem habebat, addito epiphonemate: Concussus surgo. DREXEL., in *Gymn. Patient.*, p. I, c. iv. § 4.

Bion Philosophus dicere solebat: Non malum est, malum pati: at nescire malum pati, hoc malum est. LART., l. IV, c. vii.

Persis, ut Stobæus refert, mos erat, ut si quem civium Rex citari, et quantumvis innocentem flagellari jussisset, ille sic cæsus amplexissimas ageret gratias, quod Rex sui tam benevole meminisset. DREXEL., in *Gymn. Patient.*, p. III, c. iv.

Diogenes interrogatus, quid in Philosophia didicisset, respondit: Prævidere adversa, et, cum advenerint, patienter pati. *Ibid.*, c. vi, § 4.

Anaxagoras audiens mortem sibi decretam, dixit: Jam pridem sententiam tulit natura tam in me, quam in eos, qui me damnant. Superveniente deinde alio nun-

tiantii filios interesse, scivi equidem, respondit, me mortales genuisse. *Idem.*

Marcel sine adversario virtus, inquit Seneca. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque, cum quid possit, patientia ostendit. *Senec., l. de Provid., c. n.*

Et iterum: Ego non miror, si quando voluptatem capiunt dii, dum spectant magnos viros collectantes eum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo exceptit, si leonis incursum imperterritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto honestior id fecit. *Id., infra.*

Inter multa magnifica Demetrii nostri, et hæc vox est: Nihil mihi videtur infelicitius eo, cui nihil unquam eventit adversi; non enim licuit illi se experiri: indignus visus est a quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignavissimum quemque refugit. *Id., c. iii.*

Inter fortes Davidis quidam numeratur, qui leonem interfecit tempore nivis. Nivis autem tempus est, cum nos fervor charitatis deserit; quo tempore rugientem leonis instar dæmonem superare, et bona edere opera, excelsi et constantis animi indicium est. *GRANAT., loco cit. 327.*

Heliotropium cum sole se circumagat etiam nullo die: tantus sideris amor. Quidni idem potius faciat Dei amator; nam omni tempore diligit, teste Salomone, qui amicus est, et frater angustiis comprobatur. *Prov., xii, 17.*

Qui bene vult probare dispositionem cordis, inquit Petrus Berchorius, tangat pulsum in sinistra, quia medici certius in hac, quam dextra eum explorari docent; simili modo, qui vult probare dispositionem dilectionis, tangat et probet hominem in adversitate, quia certior est probatio; nam, teste sancto Chrysologo, verus amor nonnisi passionibus probatur. *L. II, red., c. xxxiv, n. 2.*

In noctibus extollite manus vestras, et benedicite Dominum, inquit S. David; *Ps. cxxxiii, 2.* facile enim est, ut bene advertit S. Augustinus, benedicere in diebus. Quid est in diebus? in rebus prosperis: nox enim tristis est, dies res est læta. Quando ubi bene est, benedicite Dominum, itaque et in noctibus benedicite. Quando benedixit Job? Quando tristis non erat. Ablata sunt omnia, quæ possidebantur, ablatis filiis, quibus servabantur, quam tristis nox. Sed videamus, si non in noctibus benedixit: Dominus dedit,

Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser: transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris, ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui experimento. Militares viri gloriantur vulneribus, gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Calamitas virtutis occasio est. Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me Imperator meruit, sed bene judicavit. *Senec., l. de Prov., c. iv.*

Trina commendatione non indiget, inquit Ausonius, Sapiens oratio, cum profertur: Bonum vinum, cum bibitur: Vir bonus in calamitatibus. *FAB., con. v, in Dom. 23. post Pent., l. c. n. 4.*

Cum S. Clemens Papa a S. Barnaba conversus, et ad S. Petrum missus, ab hoc jussus esset postero die ad disputationem cum Simone Mago instituendam comparere, Simon autem tridui dilationem petiisset, dolente ob dilationem hanc S. Clemente, dixit eidem S. Petrus: Gentiles turbantur, cum res non accidunt ex voluntate, ut desiderant: at nos Christiani qui scimus Deum gubernare et moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus, et consolatione. *Id., con. viii, in Scæg.*

Quod Æneas olim sociis accinit, id sibi quisque merito applicet.

O socii (neque enim ignari sumus ante malorum!)  
O passi graviores! dabit Deus his quoque finem.  
Forsam et hæc olim meminisse juvabit.  
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

VIRGIL., Æneid.

Sed et memoria dignum, quod Ovidius cœcinit:

Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fateamur.  
Esse: sed ut valeas multa dolenda feras.  
Sæpe bibi succos quamvis invitatus amarus  
Æger, et oranti mensa negata mihi est.  
Ut corpus redimas, ferrum patiaris et ignes;  
Arida nec siliens ora levabis aqua.  
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?  
At pretium pars hæc corpore majus habet.

OVID., l. I, de Remed. amor.

Leniter, ex merito, quidquid patiære, ferendum est.

Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORBO. — S. Mech-

tildis ait, visum a se Christum periculum in medio devotarum animarum a B. Virgine elevari, quo tempore ex ipso velut fonte pretiosissimi balsami odoratus liquor in omnes exundabat, quem proinde ægri petere, atque imaginari debent, quod B. Virgo ipsis cordi Filii sui applicatis deat: In hoc fonte omnem amaritudinem vestram dulcificate, et omnia tentamenta vestra devinctis. *NADASI, id Anno pueri Jesu, hebdom. 32, n. 8.*

Joannes Anachoreta, cum quidam ab eo peteret, ut a febris tertiana eum liberaret, respondit: Rem tibi necessariam cupis abjicere, ut enim saponem panni lavantur, sic mentem morbi eluunt. Corporis morbus, animæ salus. Virtus in infirmitate perficitur. *RUFFINUS, in Vita Joan.*

Egregie ad hunc finem Seneca ait: Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: levis est patientia. Si gravis est, feramus: non levis est gloria. Dolor clamorem exprimat, dum secreta non exprimat. Non potest homo par esse dolori, nec rationi dolor. Dura res est dolor, immo tu mollis. Pauci doloreum ferre poterunt. Simus ex paucis. *In Excer.*

S. Joannes dicit Reguli filium in Capharnaum (quod idem significat, ac villam consolationis) fuisse infirmatum, ut significaret, semper Deum suis consolationibus adversitates miscere, ut medicus post amarum poculum dulces cupedias solet offerre. *NYSEN., in Dom. 20, post Pent., perioch. 3.*

Ægrum corpus cogitationes sanas parit, secundum commune proverbium. Hinc Zacharias dixit: Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. *LUC., l. 77.*

Si duellum tibi esset cum altero, gauderes utique hostem ab amico tuo debilitari; cur ergo non pariter gaudeas, corpus, cui perpetuus cum anima conflictus est, per morbos infirmari? *ANONYM.*

Si infirmitas alas addit, quibus ad Deum citius pervenitur, juxta illud Davidis: Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt: cur tristetur æger, si occasio offeratur, citius ad finem optatum perveniendi? *Id., Ps. xv, 4.*

Petrarcha infirmum gravi morbo afflictum sic solatur: Adversa valetudo est inquis. At est valida hortatrix parsimonia, dehortatrixque libidinum, et magistra mo-

destiæ. Comes injucunda, sed fidelis, quæ te crebro vellicet, iter signet, et conditionis admoneat, optimum in periculis monitor fidus. *L. II, Dialog. ut. Febribus æstuo, ait: omnes hi contra naturam motus plus habent impetus, quam diuturnitatis, et sæpe duorum facit alterum, aut corpus expurgat, aut animam absolvit. Felix incendium breve quod æterni refrigerii causa est. Eris jam valetudinis bonæ æstimator idoneus. Vos enim homines Dei dona nisi amissa vel intermissa non poscitis, ingratum genus. Valetudo extrema sine remedio est. Sile et gaude ruinoso carcere vincunt te, egrediere facilius ac citius. L. II, Dialog. cxlii.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN CONTEMPTU. — Nondum felix es, si te turba nondum deriserit, inquit recte Seneca. *SENECA.*

Si beatus esse vis, hoc primum cogita, contemnere, et ab aliis contemni. *IDEM.*

Qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat, teste S. Gregorio. *S. GREG.*

Si Doctorem, qui te promovit ad gradum in aliqua scientia, ames et honores, quidni et contemptum, qui te promovit ad gradum in scientia Christi. *ANONYM.*

Si gaudes debitum tibi ab aliis persolvi, cur non etiam de contemptu letaris, qui tibi vel maxime est debitus? *IDEM.*

Qui se vilem esse agnoscit, vituperationes, tamquam suas sententias, quietus suscipit: laudes vero, tamquam non suas respuit. *IDEM.*

In omni cura, quam pro te ipso geris, non est ullum officium vel medicamentum tibi utilius, quam te ipsum vituperare et contemnere. Quicumque ergo hoc facit, adjutor est tuus; hoc enim agit, quod tu agebas, aut agere debuisti, ut salvus fieres. *IDEM.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORTE CHARORUM. — Aspice nuturum animalium quam sint concitata desideria, et tamen quam brevia. Vaccarum uno die, alterove mugitus auditur. Nec diutius eorum vagus ille, amensque discursus est. Foræ cum vestigia catulorum connectate sunt, et silvas pervagatae, cum sæpe ad cubilia explata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Ab eis cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quieta, volatus suos repetunt. Nec ulli animalium festus sui longum desiderium est, nisi homini qui adest dolori suo, nec tantum, quantum sentit, sed quantum cons-

tituti afficitur? *SENECA*, in *Consol. ad Polyb.*, c. VII.

Movet lugentem desiderium ejus, quem dilexit? Id per se tolerabile apparet; absentes enim abfuturosque dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum nobis, et conspectus ereptus sit. Opinio ergo est, quæ nos cruciat, et tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. In nostra potestate remedium habemus. Judicemus illos abesse, et nosmetipsi fallamus. Dimisimus illos, imo consecuturi, præmisimus. *IDEM*, in *consol. ad Marcianum*, c. XV.

S. Sebastianus amicos Marci et Marcelliani sic solabatur: Nolite timere, non separabuntur a vobis, sed vadunt vobis præparare sidereas remissiones, in quibus una nobiscum, et cum filiis vestris in perpetuo gaudio maneat. Nolite, o amici, revocare, quos diligitis, a vita ad mortem, a gaudio ad luctum, a lumine ad tenebras. *VITA*.

S. Ambrosius sic se solabatur in morte fratris: Quid te, mi frater amatissime, lugeam? non enim perdidisti usum tuum, sed commutavi: ante in corpore inseparabilis, nunc individuis affectu; manes enim mecum, et semper manebis. Numquam te patria mihi eripuit, nec mihi Patriam prætulisti, et nunc alteram præstifisti. Cæpi enim jam non esse tibi, pergitum, ubi melior mei portio est. Numquam si quidem in me totus fui, sed in altero nostri pars major amborum. Uterque autem eram in Christo, in quo et summa universitas, et portio singulorum est. *ORAT. FUNEB.*

Si flosculum ex horto decerptum non doles, ubi vides Deo in altari consecrari, cur doles recentes flosculos superiorum in celeste templum translatos? Si thesaurum tuum gaudes in tuto loco collocatum, cur liberos (de quibus forte dicas cum Anna Tobie conjugæ: omnia in te habentes, non debebamus dimittere te) in celesti tutissimaque arca collocatos tristaris? Si eosdem e periculo vite, v. g. incendio liberatos gratularis, cur a periculo inferni ereptos luges? Si gaudes e bello reducem, gloriose in patria receptum, cur vite, quæ militiæ est, teste Job, finem imposuisse, et in celesti patria, æterna pace frui doles? Si liberis quietem somni quotidianam non neges, cur somnum mortis, quem felix adeo resurrectio sequetur, negare audes. *ANONYM.*

Recte quidam suavit, ut amicos mortuos

illud Christi nobis dicentes imaginemur: « Expediit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. » Quia scilicet, in nobis solatium quærentes, illius solatio indignos vos redderitis. *IDEM*.

Franciscus Petrarcha lugentem mortem conjugis sic solatur: « Uxorem, inquis, perdidisti: O clemens, hymeneum care: Nunc est tempus coronarum, vinctum vidimus, dignioribus jam sertis accingere. Magno prælio vicisti, et longa obsidione liberatus es. Numquam tibi fortassis opinio quæstum una lux attulit. Quantis compediibus collapsus es: quanto nafrago enatasti. Vacuo nihil mollius cubili est, nihil solum occupato, animis dulces somnos, et vigilias honestas amantibus, honestum aliquid altumque versantibus, nihil egregiis cæptis infestius muliebri consortio. Perdidisti uxorem, invenisti libertatem, cœlibatum, pacem, somnum, requiem. Jam tranquillam sine litigio noctem ages, et sine adversario jam tui, rerumque tuarum dominus esse incipies. Ante lucem lecto matutinus domo egredi, vespertinus regredi, solus cum quibus voles totos dies agere, nullo rationum exactore permitteris. Stulti est, compedes suas, quamvis aureas amare. » *JOAN.*, XVI, 7. L. II, *Dialog.* XVII.

Idem tristitiam ex morte amici dilecti obitu conceptum sic mitigat: « Amicus fidelissimus obiit: In memoria tibi sepeliendus est tua, ubi clam sæpe tecum sit, et numquam totus obierit: qui si tibi forte aliter, quam morte perierit, non tu amicum, sed opinionem falsam amicitie perdidisti. Amici corpus eripere mors potest, non amicitiam, nec amicum. Non esset tanti pretii amicus, si tam facile perdi posset. Si rite colis amicitias, nec tibi veteres desunt, nec novi defuerint amici, quin ex hostibus tibi amicos ea quidem reddet opinio. » L. II, *Dialog.* XXXII.

QUALITAS PATIENTIÆ IN DAMNO RERUM TEMPORALIUM. — Omnia mea mecum porto, inquit olim Bias; neque enim sunt bona, teste S. Ambrosio, quæ secum quis ferre non potest, cur ergo aliquid ereptum queris? Omnia perdidisse debueras, cur partem amissam doles? nihil perdidit, qui seipsum possidet. *ANONYM.* Cogitas quid perdidisti, non quid evaseris. Eris nunc in vita expeditior, domi tutior. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore posuit loco. Damnum putas? remedium est: non tam

moleste ferres, si tanquam perditurus habuisses. *SENECA*.

Arenam si ex vesica amississes, gauderes; cur non potius, si aurum ex animo et manibus ereptum advertis, quæ majus tibi tormentum et damnum causant? *ANONYM.*

Palmas, si saperet, gauderet abscondi partes superfluas; cur non et tu res temporales, quæ impediunt, ne vinum gratæ et spiritualis lætitiæ cor tuum progerminet. *IDEM*.  
Teste Sacra Scriptura, magna gloria est, sequi Dominum; quid ergo erit consequi? Cur ergo non gaudes, te exoneratum rebus temporalibus, ut facilius Christum consequaris? de quo S. Hieronymus: Christus est omnia, ut qui propter Christum omnia dimiserit, num inveniat pars omnibus, et libere possit clamare: Pars mea Dominus. *IDEM*.

Quis sub magna mole pressus, pondus subtrahi queritur? Quis Domino depositum repetente non prompte dimittit? quis cancro laborans, non ultro offert infectam partem, ut præscindatur? quæ mulier in adulterio deprehensa dolet, si solus adulter auferatur? *NIEREMB.*, in l. de *Ador.*, l. V, c. XV.

Petrarcha ex pecuniæ jactura dolentem sic solatur: Pecuniam amisi, inquis? Et laborem custodiæ, et perdidisti metum amissisti. Sic perdendo pecuniam, duo bona; unum quodque præstantius amisso, securitatem et requiem invenisti. Quid celesti animo cum terrestribus purgamentis? qui virilius philosophantur, argentum atque aurum inter bona non numerant; qui molius, bona dicunt, sed non animi: horum quidquid elegeris, sive non bonum, sive non tuum fuit, æque nulla tibi est materia querelarum. Si tamen te adeo non tuæ quoque cruciant jacturæ, tibi que vel alienum aliquid demi doleas, disce illa conquirere, quæ tuæ sint propria, atque perpetua, quorum et acquisitio facilior, et possessio nobilior, certiorque. Virtutem si acquisieris, non amittes. Clamant ad adverso doctissimorum voces hominum: clamant experientia et veritas: clamant vetus et recens exemplorum turba, magna pecuniam nulli utilem, multis fuisse pestiferam, cum peccato ac labore querendam, cum labore ac sollicitudine servandam, cum querelis ac morore perdendam. Dicant pecuniæ amatores, quid vel in his verbis falsi, vel suis opibus boni sit. L. II, c. XIII.

NECESSITAS. — Solon legislator Athenien-

sium dicebat, urbes atque oppida, nihil aliud esse, quam humanarum arumnarum domicilia, quibus luctus, merores, tristitiæ mortalium, quasi septis includantur. *LANCIZ.*, *Op.* IX, c. 1, n. 7.

Nulla domus, inquit Seneca, in toto orbe terrarum aut est, aut fuit, sine comolatione. *L. de Consol.*, c. XXXV.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor, dixit recte Euripides apud Ciceronem. *Tusc.* 3.

Natura hominem nati die abijcit ad vagitus statim, et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus in vite principio. Causam reddit S. Cyprianus: Ut vite mortalis calamitates et labores, quos ingreditur in exordio suo, rudis anima testetur. Hinc S. Augustinus hominem in nativitate plorantem, vocat Prophetam calamitatis. *PLIN.*, *ap. Lanciz.*, *Opusc.* II, c. VI, n. 189.

Seneca ait, offendi istis rebus, tam ridiculum esse, quam queri, quod spargaris in publico aut inquinari. Eadem vite conditio est, quæ balnei, tube, itineris. Per ejusmodi offensas emetiendum est contrafragum hoc iter: præparetur animus contra omnia, sciat venisse, ubi luctus et ultrices ponere cubilia curæ. In hoc contubernio vite degenda est: effugere ista non potes, contemneres potes; contemnes autem, si sæpe cogitaveris, et futura præsumperis. Nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit. *CYR.*, de *Bono patientiæ*, ep. CVII.

Querens arundinem rogans, quid facere debeat, ut et ipsa, sicut arundo, a ventis incolumis existat, audivit non aliud superes medium, quam ut ipsa quoque ventis ad ejus exemplum cedat, pronoque corpore eos adoret. *DREXEL.*, in *Gymn. pat.*

Dicuntur, Jove iudice, litigasse voluptas et dolor, neque alter alteri cessurus videbatur. Ad quos Jupiter, « bene est, inquit, ita componam vos, ut dirimi nequeatis. » Hinc:

Semper odoriferis proxima spina rosâ.  
Id., § 2.

« Nulla dies sine nubecula, » dicebant olim majores nostri. *IDEM*.

UTIMITAS. — Rex quispiam suis in mari convivium instruens, finita mensa omnia vasa et mappas in mare projici jussit; cumque convivæ omnia haud dubie perita putarent gementem, subito contractis, quæ occulte expensa fuerant, retribus, cum ma-

gno piscium multorum fenore recuperata viderunt. Idem contingit illis, qui rerum suarum iacturam propter Deum libenter faciunt, aut patiuntur. DREXEL., *Ros.* I, c. XIV, n. 4.

Amicum agrum et inopem quis invisens, cum jam abitum pararet, cervicali velut agrum levaturus, manus, sed etiam aureos aliquot supposuit, ut robori simul et necessitati infirmi consulere. IDEM.

Quidam ad significandam patientiam in emblemate carulem inter spinas pinxit cum hoc lemmate: Alios pungunt, me pascent. Alius facem, quam nonnemo agitatione extinguere conatur, cum inscriptione: Agitata revivo. Alius rupem repercutientem fluctus, cum lemmate: Conantia frangere frango. ANONYM.

Cum S. Gertrudis turbata esset, dicebat ei Christus: Ne contristare, delector enim tua cohabitatione; ideo, ut tecum maneat, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me plenius recurras. L. III, in fin., c. LXIII.

S. Chrysostomus vocat eos, qui persequantur bonos, eorum agricolas, eo quod illos suis persecutionibus velut aratro proscindant, et fertiles faciant. Hom. IV, ad Pop.

DIGNITAS. — Idem S. Gertrudi dixit, se ideo præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipsi deservierant ad commoda corporalia (ut sunt vasa, quibus in infantia balneatus est) multo majorem honorem spinæ coronæ, lanceæ, cruci, etc., contulisse, ut et ipsi dilecti adversariis majorem amorem, quam benefactoribus impenderent. L. IV, in fin., c. LIV.

S. Franciscus Salesius quasitus, quæ optima foret patiendi materia resp. Quæ tota a Deo sit, nihilque contineat nostri: qui enim se voluntariis afflictionibus castigat, ille sub Christi vexillo pedester miles est: qui autem a Deo immissa patienter tolerat, eques est. Id quod per visionem S. Henrico Susoni factam, et supra § 5, n. 5, narratum, confirmatum est. LYRAUS, I, I, *Apoph.* II.

B. Baptistæ Veranæ alias dixit Christus: Cognosce et gratias age Deo, quod non merearis, ut tibi faciat tantum bonum; facere te conformem mihi per viam passionis. Quia hæc est vestis nuptialis, qua ego verus sponsus tuus sui semper vestitus. Scias etiam post bonam voluntatem, hanc esse rem pretiosorem, quæ tibi a Deo dari pos-

sit, mala pati. 4 p. *Chr. S. Franc.*, I, VII, c. XXIV.

Christus quando oravit Patrem pro te in Cruce, non appellavit Patrem, dicendo: Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quando autem pro inimicis oravit, Patrem vocavit, quia hoc actu se verum Dei Filium ostendit. Unde et Centurio non prius eum agnovit Dei Filium, quam orantem pro inimicis audivit, tunc enim dixit: Vere Filius Dei erat hic homo. LANCZ., *Opusc.*, IX, n. 56.

Dum S. Gertrudis offerret Domino omnem tolerantiam, quam in corpore et spiritu sustinebat, et omnem delectationem, quam tam spiritu, quam carne fruatur, apparuit illi Dominus, illa duo, quæ sibi obtulerat, scilicet delectationem, et tolerantiam, in specie gemmarum annulorum, quasi pro ornamento utrisque manibus ferens. Unde collegit, quod sicut annulus signum est desponsationis, sic adversitas tam corporalis quam spiritualis verissimum signum est electionis divine, et quasi desponsatio anime cum Deo. L. III, in fin., c. XXIV.

Eidem alias dixit Christus: Omnem, qui voluntatem suam ad aliquod gravamen causa mei perferendum sponte mihi offert, ille veraciter potest gloriari, et gloriando nunciare, quod amore mei langueat, dum in gravamine patiens, et mihi intendens perseverat. Tunc ista, et quid, inquit, tu amantissime, ex tali nuntio lucrari poteris? Respondit Dominus: Talis nuntius est delectatio meæ divinitatis, honor humanitatis, amenitas oculorum, et laus aurium meorum. L. III, in fin., c. LV.

Nobile vincendi studium patientia: vincit.

¶ Qui patitur; si vis vincere, discite pati  
LYRAUS, I, II, *Apoph.* I.

Brevem tibi formulam dabo, qua te mæfianis, qua te perfectam esse jam senties: Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges, infelicissimos, esse felices. SENECA, I, de *Prov.*, c. III.

Pharao Rex Ægypti masculos interfici jussit; diabolus autem eos, quos masculo ac generoso animo vitia fugere, virtutem et perfectionem sectari videt. EXOD., I, 46.

S. Henricus Suso dixit: Si centum annis et flexis genibus oremus Deum, non sumus digni, ut crucem unicam accipiamus. L. *Dial.*, c. X.

S. Catharinæ Senensi dixit Deus: Arbo-

ris medulla, videlicet affectus veræ charitatis existentis in anima, est invicta patientia. Quæ signum est evidens, ac apertissime demonstrans, animam in me pariter consistere, et in ea me per gratiam esse. In *Bulla Canoniz.*

Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Et ex hac tibi nota sapientiam exhibeo. Quid igitur? Non erit aliquis, qui sapienti facere injuriam tentet? Tentabit, sed non perventuram ad eum: majore enim intervallo a contactu inferorum abductus est, quam ut ulla vis noxia usque ad illum vires suas perferat. SENECA, I, de *Consol.*, c. III.

S. Chrysostomus finium, in quo sedebat B. Job omni tribunali regio esse venerabilis ait: et multi nunc longam transmarinam peregrinationem a terræ finibus suscipientes in Arabiam abeunt, ut finium illum cernant, et conspiciat terram deosculentur, quæ illius victoris certamina, et erorem omni auro pretiosorem exceperit. Hom., V, ad *Popul. Antioch.*

Vilissima res est purpura, ex conchyliorum genere; postquam tamen Imperatores ejus sanguine vestes suas tingere cœperunt, nemo non veneratur illam, et maximo sibi honori ducit purpura donari. Pari modo etsi tribulationes per se sint viles, et abominabiles, postquam tamen eas Christus sua patientia condecoravit, merito omni veneratione, et amore dignæ esse cœperunt. FAB., conc. VI, in *Pesto S. Barthel.*

In genealogia Christi solus David, et quidem bis, Rex appellatur, ut intelligeremus, quantum antecellat is qui pro Deo patitur, illis, qui in domo Dei sine tolerantia calamitatum versantur. NYSEN., in *Sab. post. Cin.*, 3.

S. Ephrem dicit: Immanes feræ in medio sui videntes Prophetam Danielem, inclinantes se «adorabant» illum: quia ut nemo Deo magis similis est, quam qui patitur pro illo, sic leones, cum Danielem afflictum viderunt pro Deo, ac si Deum quemdam viderent, venerabantur. IDEM, *Period.* 3, in *Dom. Sezag.*

Rudolphus Austriacus jam coronatus cum sceptrum deesset, quo fidelitatis Sacramentum a subditis exciperet, crucem ardentem arripuit, et dixit: Ecce signum, in quo nos, et totus mundus redemptus est: et hoc signo utamur loco sceptri: simulque osculo fixo Principibus contingendum

obtulit. *Ann. Eccles.*, t. XII, an. 1274, n. 12.

JUCUNDITAS. — Stephanus Eudensis Antistes illud Deuteronomii: Inundationem maris quasi lac fugent: sic explicat. Inundatio maris abundantia tribulationis, quæ tunc fugitur, cum dulcis a justis reputatur. Lac nutrimentum parvulorum, tribulatio pabulum fit electorum. Eluviem hanc maris utique fuxit, qui dixit: Sed et gloriamur in tribulationibus. AP. DREXELIUS, in *Gymnas. patient.*, p. III, c. II, § 5.

Ludovicus Granatensis de viro quodam religiosissimo refert, quod undequaque tribulationibus septem se videns dixerit: Bonum, quod expecto, tam immensum est, ut omne supplicium omneque tormentum mihi sit voluptas. IDEM.

Christus olim B. Mariæ Magdalenæ ecstasi posita dixit: Nihil scias, nihil velis, nihil possis, nihil sis, et omnia possidebis. Dura est portatu nuda crux absque crucifixo: sed verum est etiam, quod præmium sit majus. *Vita*, p. IV, c. XVII.

#### AXIOMATA.

Persecutorem, qui provocat, facit: corrigi, qui declinat. S. CHRYS., II.

Non quid feras, sed quemadmodum feras, interest. DREXEL., in *Rosis*, p. II, c. v, § 9, in fin.

Speremus, quod volumus; sed quod acciderit, feramus.

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

Cuivis dolori remedium est patientia. S. GREG.

Agere et pati fortia, Romanum (aut potius Christianum) est. MUTUS SCAVALO.

Bene facere, et mala pati, Christianum est. *Philo Carpat.*

Tanto quisque ostenditur minus doctus, quanto convincitur minus patiens (sive: Tanto minus quisque, est doctus, quanto minus patiens). S. GREG., h. XXXV, in *Ev.*

Doctrina viri per patientiam noscitur. DREX., *ib.*

Nil crux sentit in nervo, cum animus fuerit in Cælo. PROV., XIX.

Non sentire mala sua, non est hominis: non ferre, non est viri. TERTULL., cap. II, ad *Matth.*

nec minor est victoria, hostem tolerare, quam vincere. *SENEC., de Confid. ad Polyb.* Melior est conditio patientis injuste, quam agentis. *IBID.*

Sapientia comest patientia. *EPICETUS.*  
 Si veram cupias addiscere Philosophiam, plurima sustineas, pluribus abstineas.  
 Patientia vincit omnia.

## AUCTORES.

Nicolas Lancizius, *Opusc. IX, toto, et Opusc. III, a c. v. usque ad VIII.*

Franciscus Arrius, t. II, tr. IX.

Antonius Gaudier, *de Natura Perf.*, p. II, c. III; p. IV, c. XXI.

Jeremias Drexelius, in *Gymnasio Patientia.* *IDEM*, in *Rosis*, p. III, c. v.

Alphonsus Rodriguez, p. I, tr. VIII, a cap. XVI usque ad XXX.

Eusebius Nierembergus, in *Doctrinis Asceticis*, lib. VI, doct. VII. *IDEM*, *de Adoratione in spiritu et veritate*, l. I, c. XV, XVIII, et l. II, c. VII et XI.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VI, c. VIII.

Hadrianus Lyraeus, in *Apophtegmatis S. Ignatii*, apoph. VIII.

Bernardinus Rosignolius, *de Discipul.*, l. IV, c. XXXI et *Actibus virtutum*, l. II, c. XII.

Lucas Pinellus, l. III, *de Perfect.*, c. v.  
 Josephus Mansi, *Bibl. mor.*, tract. LXVIII.  
 Jacobus Corenus, in *Clypeo patientia.*

## PAUPERTAS.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua moderamur appetitum possidendi res naturales, et solis necessariis secundum rationem status contenti sumus. *JAC. ALV.*, t. II, l. III, p. II, c. IX, § 11. Vel, est omnium rerum temporalium, ob amorem Dei et desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio; *IDEM*, l. V, p. I, c. 1; ita, ut, quemadmodum S. P. Ignatius dicere solebat: Instar statuæ se gerens,

nec resistat, nec recuset, quo minus omniquamvis pretioso amictu et ornatu confestim exuatur. *S. IAN.*, l. II, *de bono*. Vel, ut Theologi, teste Hieronymo Plato explicant, iumentum instar, utatur quidem stabulo, frumento, feno, legumentis, non tamen hæc possideat sed potius possideatur ab alio. Quo modo Cassianus Monachos suæ etatis constitutos fuisse dicebat, ut ne verbo quidem quispiam auderet suum aliquid dicere, magnumque esset crimen, ex ore Monachi processisse: Codicem meum, tabulas meas, tunicam meam. *STAT. RELIG.*, c. III, l. V, c. XV.

DIVISIO. — Dividitur in tres species, teste Laurentio Beyrlinck. Prima est eorum, qui incidentem pauperatatem propter Deum suscipiunt, eamque divitiis spe regni præferunt. Secunda eorum, qui facultates multas ita possident, ut tamen parati sint, eas, quodcumque ratio pietatis exigerit, abjicere, vel dimittere. Tertia eorum, qui sponte propter Christum omnia sua reliquerunt; et hæc iterum in duas classes subdividitur, illam scilicet qua nihil omnino nec communiter, nec privatim possident, qualem S. Franciscus, et plures alii ejus exemplo permoti, tenent; alteram, qua in commune tantum necessarij reditus possidentur, qua forma, inquit Platus, veteres omnes Patres usos esse constat, ut SS. Bernardus, Brunonem, Basilium, Benedictum, quorum postremus hic tam amplas in suis Monasteriis facultates possidebat, teste Trithemio, ut si omnes ei mansissent, tertiam Orbis partem possessurus fuisset. *L. VI, fol. 413.*

ACTUS. — *Paupertatis religiosa.* « Nihil accipere aut dare sine facultate: » Quia Religioso nihil penitus juris in temporalia aut eorum usum remanet; nec quidquam definite debetur, sed solum necessaria indeterminate, hoc est, ad arbitrium Superioris. Hinc teste Hugone Rott, antiquum est verbum: Quidquid Regularis acquirit, non sibi sed ordine seu monasterio acquirit, et quidquid eidem a Præsidibus porrigitur, gratuitum est donum, non debitum. *In Vita reg.*, p. I.

« Nulla re tanquam propria, aut sine facultate uti: » cum Religiosus pauperatatem professus perinde nullius rei habeat dominium, ac peregrinus in hospitio divertens, cui utique nihil usurpare licet, sine generali vel particulari cauponæ aut hospitis facultate.

« Nihil superfluum retinere: » melius est enim, teste S. Augustino, minus egere, quam plus habere. *S. AUGUST.*, ap *LANZ.*, *opus*, t. II, n. 422, p. III. Et, ut bene P. Hugo Rott advertit, superfluum congeries, et provisionum apparatus insitorem indicant, similem ei, qui quadragesimalium copia, ad comedendum, non ad jejunandum instructus est. *Vita reg.*, c. XXVII, s. IV, n. 4.

« Vilissima in iis, quæ ad usum conceduntur eligere: » Certe S. Franciscus dictare solebat, spiritum mortui signum esse perspicuum, si quis curiosa multa, eaque non necessaria apud se habeat; qua enim alia re, inquit Rodriguez, spiritus tepidus et in quo gratiæ vigor elanguerit, operiri, foveverique queat, quam in genus titivillitatis, rebusque nihili? Ad has videlicet, ubi palatum ad spirituales exundatum est, supte nutu deflectitur. *P. II, tr. III, c. VIII.*

« Etiam necessariorum carentiam æquo animo supportare: » nam ut recte P. Baltassar Alvarez dicere solebat, nemo sibi de illustrationibus sensus, et spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc botum Evangelicæ paupertatis deglutiatur. Tunc autem deprehendet, an illum amet, si ejus etiam comites diligat, famem, sitim, frigus, ac contemptum. Qui enim in vestibus querit honorem, ne vilis habeatur, non diligit pauperatatem; qui, dum sitit, non potest sitim aliquandiu perferre, is non studet paupertati; qui nihil vult sibi deesse et tamen vult Religiosus haberi, decipitur. *Vita reg.*, c. v. Porro necessariorum nomine, ut bene advertit P. Hugo Rott, non illa intelliguntur, quæ ad hoc solum appetuntur, et usurpantur, ut commodius quis jucundius, celerius, plenius officio suo vel indigentia per eam consulat (hanc enim necessitatem fictam ait appellari) sed ea, sine quibus cum omni industria vincere impedimenta operis aut valetudinis non possit. Certe parum digne, inquit idem, pauperatatem Christi Regularis imitatur, qui, leviori ciborum, librorum, instrumentorum, ac reliquæ suppellectilis apparatu contentus vivere nescit. *P. III, Vita reg.*, XVII, s. IV, fol. 578. Hinc recte S. Albertus Magnus ex hac carentia perfectionem paupertatis colligi debere existimavit, dum dixit: Vera et perfecta paupertas est, omnia propter Deum sponte et libenter dimittere, nihil præter solum necessitatem possidere, eadem necessitate indignum se sentire, et etiam ipsa

necessitate quandoque propter Deum carere. Ubi enim est plena necessitas, perpendi non potest paupertas. *S. ALBER.*, in *Para. ani.*, c. V.

« Libenter suo tempore, ea quæ necessaria sunt, vel a Superioribus, vel ab Officialibus, vel ab externis mendicare: » hic enim est proprius effectus paupertatis, nec ipsum etiam usum nisi ex aliorum arbitrio et facultate, arrogantis.

« Munera, » præsertim si adulationem aut corruptelam, aut remunerationem vel minimum solum, « non tantum non ambire, sed etiam oblata respuere: » hoc quippe est potius libertatem vendere, quam paupertatis titulo eleemosynam ab aliis accipere. *DREXEL.*, in *Rosis. mar.*, p. II, c. IX, § 40, n. 8.

GRADUS. — Tres, teste Rodriguez, a SS. Patribus et Directoribus spiritus assignantur, *P. III, tr. III, c. VI*, quorum primus est eorum, qui exterius quidem res mundi reliquerunt, sed voluntate et affectu adhuc in hærent, adeoque « loculos mentis, » uti loquitur S. Bonaventura, retinent. Qui tamen gradus paupertatis nomen proprie non meretur.

Secundus gradus est eorum, qui res quidem mundanas affectu et effectu reliquerunt quoniam etiam superflua nihil morantur, tamen necessariis valde afficiuntur, angunturque ne quidquam illis desit: quæ tamen ipsa etiam paupertatis econium ac privilegia vix meretur, sed potius opulentia vocari debet, et quidem apud ditissimos reperitur.

Tertius gradus est necessariorum carentia voluntaria. Et hæc tandem vera paupertas est; nam, ut recte quidem Sanctus apud Rodriguez ait: Pauperem esse: nihil habet laudis, nisi cum pauperimus suam pauperatatem in amoribus habet, et quæcumque ipsi incommoda sese offerunt, lætus propter Christum sustineat. Id quod ipsi etiam Ethnici agnoverunt, suoque calculo approbarunt: hinc Seneca, non est autem, inquit, quod te nimum laudes, si contempseris aureos lectos, et gemmeam suppellectilem, quæ est enim virtus, supervacanea contempseris? Tunc te admirare, si non contempseris necessaria. Tunc te admirabor, si non contempseris panem etiam sordidum, si tibi persuaseris, herbas, ubi necesse est, non pecori tantum, sed homini nasci. *EP.*, cx.